

05

A

311





Exercitationum Politica-
rum, nobiliores controver-
sias expendentium

P R I M A

Quam

D. O. M. A.

*In celeberrimâ Electorali ad Albim
Academia*

P R Æ S I D E

M. JOHANNNE OLEARIO

Hallens. Sax. Amplifs. Facult. Philo-
soph. Adjuncto

Publicè ventilandam proponit

TOBIAS MEZNER, Firnâ-Milnic. Elect.
Sax. Alumn.

*In Auditorio Minori, Hor. à 1. pomerid.
ad diem 9. Aprilis.*



WITTEBERGÆ,

Typis JOHANNIS CHRISTOPHORI Siegel.

Anno MDCXXXVI.





05 A 311



QUÆSTIO I.

An detur Politica ?



*S*ensus quæstionis est, an de prudentia Politica (quam neque per scientiam cum Platone, & Caso, neque per artem cum Althusio, neque per disciplinam practicam nudè definiendam esse probat Excellentiss. Dn. D. Jacob. Martin. Polit. l. 1. c. 1.) certa præcepta tradi possint? Videtur quod non 1. quia in rebus ad Politicam spectantibus mira admodum invenitur varietas, quæ impedit, quominus certæ regulæ haberi possint. Confer Arist. 1. Eth. Nicom. c. 1. & 2. 2. quia Politices est agere, adeoque circa contingens occupari objectum, 3. incerti verò certam dari notitiam absurdum est. Verùm non obstantibus hisce hæc ponimus assertionem: De prudentiâ Politicâ certa omnino præcepta tradi possunt, si non apodictica, tamen probabilia, pro natura Philosophiæ practicæ sufficientia, licet ad æneisæ theoreticam non pertingentia; Idque probamus 1. ex disciplinæ peculiaris requisitis, quibus positis, ipsa quoque disciplina, quæ suâ certitudine destitui nequit, ponenda, quam rationem deductam & Politicæ applicatam, vide ap. Arnise. c. 1. 2. à Minori probabili ad magis probab. Si in Jurisprudencia major rerum varietas certis præceptis comprehendere potest, multo magis minor varietas in Politicis. 3. ab experientia, præstitit enim id Aristoteles & post eum nobilissimi ejus interpretes, & nostro seculo Excellentiss. D. Jacob. Mart. Arniseus, Heiderus, Liebenthal, Avenarius, Petrus, & alii. Ex quibus ad rationes oppositas ultrò fuit responsio, scilicet ad primam Resp. distinguendo inter Politicam præceptionem & præceptionis exercitium sive administrationem. Ad secundam Resp. distinguendo inter certitudinem theoreticam

& practicam. Ad *tertiam Resp.* distinguendo inter incertum simpliciter, & hoc vel illo modo.

QUÆSTIO II.

An Politica tradenda methodo analyticalica?

Dubitant nonnulli ob factum contrarium quorundam, qui tradiderunt Politicam: artifice verò in sua arte credendum, ut habet Canon deductus ex 1. *Top. c. 10.* Verùm hoc non obstante *asserimus*: Politicam omninò non nisi methodo analyticalica seu resolutivâ, à notione finis tanquam totius ad cognitionem mediorum procedente esse tractandam. Idq; ut probemus sufficit, quia est disciplina practica vid. *Arifaeus c. 1.* Tollitur ergo dubium inde, quod non exemplis sed rationibus pugnandum, & artifice qua tali, non verò statim huic vel illi, adeoque probato, rectæ rationi non repugnanti, omninò sua manet autoritas.

QUÆSTIO III.

An verus sit Politicus, qui simulare & dissimulare potest?

Pseudopolitici quidam *affirmativam* astruere conantur 1. ob eximiam quam subesse putant utilitatem, quia scilicet sine hac nemo possit esse Politicus. 2. ob summam necessitatem. 3. ob autoritatem & exemplorum nobilitatem. Nam de *Friderico I.* referunt, quod semper in ore hæc verba habuerit: *Qui nescit dissimulare, nescit regnare.* Et de *Tiberio*, quod nullam magis virtutem dilexerit, quam simulationem. Verùm hisce non obstantibus *in simulatione & dissimulatione esse Politici nequaquam consistere asserimus.* Idque prob. 1. Ex insufficientiâ. 2. Ex rei naturâ. Honestas enim & sinceri Politici proprietates non permittit os aliter loqui, cor autem aliter sentire, & ita simpliciores mellitis verbis decipere. 3. ex Germanæ fidei & probitatis repugnantia. Unde ad rationes oppositas ultrò fuit *responsio.* Præsupposita tamen distinctione inter simulationem, quæ est in negotio religionis, & Politicæ
functio

functionis, de illâ Theologi. vide *Excellent. D. Röberum in prælect. publ. ad cap. 2. 1. Ep. Petri*. Hæc verò est vel dissimulatio injuriarum, vel dilatio pœnarum, quam sæpius pernecessariam esse concedimus, imprimis principi: vel est dissimulatio technarum, mendaciorum fraudis & odii, quam non nisi ingenium Diaboli, Caini, Judæ &c. sapere certum est. Hinc *Resp. ad primam rationem contrar.* Utilitas in re turpi nulla est, cum honestum utili ipsi præferant Ethnici, vid. *Cicero in offic.* ad *secundam Resp.* de dissimulatione honestâ concedimus, de malevolâ negamus, ad *tertiam eadem est Responsio*. Nam vel maximè Imperatori observandum, quod *Alphonsus* dixit: Principum verba debere esse Sacramenta. Et quod refert *Zenoc: in vita Caroli V.* eum, dum ad frangendam B. Luthero datam fidem instigaretur, respondisse: si nullibi in toto orbe, tamen in principis verbis fides locum invenire debet. Si toto mundo fides exulet, tamen apud Imperatorem eam oportet consistere; cujus, juxta *Philonem*, singula verba sunt juramenta, & cui, monente *Thucydide* turpior omninò ac foedior censenda fraudulencia quam violentia. Confer *Petræi Polit. p. 25.*

QUÆSTIO IV.

An juvenis possit esse Politicus?

Videtur negandum, quia 1. Respubl. benè constituta non habet juvenes gubernantes 2. quia senes experienciâ instructi aptiores sunt ad Rempubl. gubernandam 3. Aristoteles 7 Polit. c. 16. senibus mentem & intelligentiam tribuit. 4. Naturæ ordo postulat ut juvenes senum disciplinæ se subjiciant, & ab imperfectis ad perfecta progressum faciant. Verùm media via ut alibi, ita & hîc tutissima. Hinc sequentē ponimus *Assertionem: omninò & juvenem, non quemvis* (ut τὰς ψαῖδας vel pueros etiam iucludat, de quibus, quia pleno rationis usu carent, & summi boni capaces non sunt, ex 1. *Eth. Nicomach. c. 10.* res plana est) *sed adultiorem; non moribus* (quo facit observatio *Camerarij ad c. 3. l. 1. Eth. Nicomach.* quod *ναεγς* non tam juvenem, quam eum qui totus refert juvenem, notet, unde *Aristoteles* ibid. removendo juvenem ab Ethica utrumquè indicare videtur, scilicet de tali sermonem esse, qui

qui & ætatem & ingenium seu mores juveniles habet) *sed ætate; non mente, sed mento; non animo, sed annis talem, esse posse Politicum.* Idq; *prob.* 1. quia talis potest esse Ethicus, Ergo & Politicus. 2. Non æstimanda annis sapientia, sed effectis. 3. a Politici requisitis, quorum nullum ei deesse potest, ut docet inductio. Confer. *Arnise. in proæm. polit.* 4. Autoritate tum *Plauti* qui in *Trinummi.* ait: Non ætate sed ingenio adipiscitur Sapientia: tum *Ciceronis* 5. *Philipp.* ubi ex hoc ipso fundamento refutat eos, qui Augusto, ante annos, curules honores denegarant, & addit: Cæsar ineunte ætate docuit, ab excellenti eximiâq; virtute progressum ætatis expectari non oportere. Quibus addi possunt *rationes* quæ passim adducuntur ab aliis videlicet quia 1. Senes magis utilitatem quam honestatem arripiunt, contrario verò modo juvenes præfixam habent honestatem, & exinde gloriæ & honoris consequentiam. 2. quia senes videntur esse meticulosi & angusti animi; juvenes verò animositatem & fortitudinem exercent. 3. quia nulla ætas, adeoq; nec juvenilis, quæ bono publico consulere potest, rejicienda. Ex quibus *ad rationes contrarias* facilis est *responsio*, videlicet ad *primam* quod de juvene hîc descripto & determinato falsa sit, ad *secundam* concedendo, senibus quibusdam majorē tum *γνώσιν* tum *πρόξιν*, adeoq; & confirmatorem experientiam, in quibus tamen singulis non raro à junioribus Politicis tantum non superantur, qui, quod illi multitudine rerum obruti diu obliti, adhuc exactissimè tenent, idq; interdum in iis, quæ sunt summè necessaria. ad *tertiam* quod Aristoteles senibus tribuit, id omni in universum juveni ideò non adimit. ad *quartam* politica prudentia debitā senibus reverentiam non tollit. Et nemo etiam doctissimus non potest non approbare illud *ICti Pomponii*: *Etsi alterum pedem in tumulto haberem, non tamen pigeret aliquid addiscere.* Interim tamen nihilominus potest esse politicus.

QUÆSTIO V.

An Politica Theologo necessaria?

Negant nonnulli, 1. quia Politica agit de Republica, & sic merè Civilia in se continet: Theologia verò longè majora & excellentiora, nempe *ἡθολογία τῆς Θείας*. 2. Politica occupata est circa *externam*

ternam disciplinam; Theologia verò internam docet rectitudinem, tum & facientia non solum ad hanc, sed etiam ad æternam vitam. Verùm his insuper habitis hanc ponimus *assertionem*. *Politica distincta quidem est & manet à Theologia, Theologo tamen, si non necessitate absolutà & simplici, attamen hypothetica & quam vocant expediencia necessaria est.* Quod probamus 1. quia sine hac nemo intelliget Rempub. Israëliticam, quomodo ergò vel scripta Mosaica vel Prophetica? Confer *Cuneum de Republ. Hebræorum*. 2. Multominus expediet, quæ de Principibus, magistratibus, subditis, bello & pace occurrunt passim. 3. ne statum quidem controversiæ intelliget, quando v. g. quæritur & à Theologis expeditur: An forma Reip. spiritualis sive gubernationis Ecclesiasticæ vi institutionis divinæ Monarchica vel Aristocratica sit, nisi ex Politicâ quid Monarchia, quid Aristocratia, & quænam veræ ejus rationes & differentiæ, cognoverit. Hæc enim Theologus qua talis non explicat, sed tanquam à Politico exposita præsupponit, indeq; cum opus, assumit, objecto suo applicat, & ex Scripturâ, adeoq; suæ facultati adæquatis principiis, de hoc vel illo subjecto demonstrat. Ex quibus patet, nullius momenti esse *rationes contrarias*, quæ nihil aliud, nisi distinctas esse disciplinas Theologiam & Politicam, adeoq; confusionem vitandam, probant; Incompossibilitatem verò in essendo nondum evincunt. Unde & vix hodie nisi ab ignavis accuratioris Philosophiæ, proferuntur. Quia juxta *Scheckium lib. 1. de demonstr.* Nemo est, qui magis criminetur Philosophiam, quam qui sibi metuunt à veritate argumentorum, quibus se opponere non possunt.

QUÆSTIO VI.

An civitas sit objectum Politicæ?

Videtur quod non 1. quia id censetur esse homo, quatenus est beabilis civiliter, adæquatum verò objectum non nisi unum est. 2. quia nondum satis constare videtur hac de re Politicis, dum hic Rempub. ille aliud quid objecti loco ponit. Conciliatio verò sententiarum, quæ ab eruditissimis etiamnum in utramq; partem ventilantur, difficultate haud caret & periculo. Verùm post-

habitis

habitis hisce ponimus *assertionem* hanc: *Civitas est objectum s. sub-
jectum Politicæ non quidem denominationis, sed operationis, sive tra-
ctationis. Quam probamus 1. ex veri & adæquati objecti requisitis.
vid. Gutk. Habit. Intellig. quæ ad hoc nostrum objectum applicata
vid. apud Excell. Dn. Jacob. Mart. Armseum, Heider. & alios. 2.
autoritate Aristotelis, Thomæ, Casi, Piccarti & c. Ex quibus rationum
contrar. facilis est solutio. Præsupposito tamen 1. quod civitas, ut
notat Versor, accipiatur vel materialiter, pro congregatione ci-
vium in se spectatâ; vel formaliter, pro eorundem ordinatione,
sive civium multitudine jam formâ suâ indutâ. 2. quod civitas ac-
cipiatur interdum, 1. pro urbe. 2. pro populo apud Ciceron. in
Somnio Scipion. 3. pro Republ. ap. Thomam. 4. pro populo & Re-
publ. simul. 5. interdum pro tribus prior. conjunctim. Hisce
inquam præsuppositis Resp. ad 1. Concedendo, non nisi unicum es-
se unius disciplinæ adæquatum objectum, id verò in Politicis esse
hominem, nondum probatum. Confer Homonymiæ evolutio-
nem in assertionem. Resp. ad 2. diversitas illa orta est ex vocis ob-
jecti & civitatis æquivocatione, quæ si evolvatur, ut modò factum,
omnis expirat pugna.*

QUÆSTIO VII.

An causa efficiens Politicæ sit hominum malitia vel violentia?

*Affirmant nonnulli 1. quia hominum è peccato exorta
ἀταξία per Politicam est refrenanda. Hinc Theodoretus orat. 7.
de provident. Deus velut pharmacum quoddam mali expulsum
iniquitatis ulceribus imposuit Magistratus administrationem,
2. quia omnia imperia vi primum coaluisse inductione facile
constat, confer Bodin. l. 1. de Repub. c. 6. Verùm hisce posthabitis,
hanc ponimus *assertionem*: *Cum causa efficiens Politicæ principalis
non nisi DEUS sit, omnis boni fons & autor, qui formam dando, &
consequentia formam addit, naturalem nempe hominum inclinatio-
nem, ideò nequaquam vel temerarius & fortuitus casus, vel sola reli-
gio, vel metus, vel Musica, vel necessitas, vel malitia, vel violentia Poli-
ticæ causa esse potest. Confer Schonbor. lib. 1. Polit. c. 4. Idq; patet, ut
alia**

alia reliquamus i. ex naturæ coordinatione. In omnibus enim mundi partibus imperandi & parendi diversitatem observari ostendit *Casus Polit. c. 5. Confer Ciceron. lib. 2. de nat. Deorum*, ubi concludit, omnem naturam, quæ non est simplex sed cum alio conexas, necesse esse habere aliquem, principatum Ergo & homo.

QUÆSTIO VIII.

An non nisi datâ malitia detur Politica?

Sensus quæstionis est, an concipiendo hominem qui ignoret malitiam, eidem repugnet vivere in Politia, & alteri subesse. *Affirmant* non nulli, præter rationes oppositas quæstioni antecedenti, citantes & eas, quas habet *Augustin: lib. 19. de Civ. D. c. 15. & 16.* v. g. pugnare hoc cum libertate & hominis conditione, cui præ esse, brutis verò subesse conveniat etc. Verum hisce opponimus hanc (præsuppositis iis, quæ ex *quæst. 7.* huc spectant) *assertionem: Subjectio non quidem servilis, sed filialis, sive imperium & regimen non quidem δεσποτικόν & coactum sed πατερικόν ex spontaneâ submissione ortum, non cum libidine dominandi, sed cum animo consulendi conjunctum homini adhuc malitiam ignoranti nequaquam repugnat.* Quod probant eadem rationes quæ pro confirmandâ *quæst. 7.* productæ sunt. Plures videri possunt apud *Bellarmin: lib. de Laicis c. 7.* (ubi itidem inter subjectionem servilem & Politicum principatum distinguit) *Biel. 4. sent. dist. 15. q. 5. & Thomam 1. q. 96. artic. 4.* ubi ab homine nondum malo servitutem quidem removet, supereminentiam tamen scientiæ & justitiæ habens aliud ad proprium bonum ejus dirigere posse asserit. Et in solutione argumentorum contrar. dicit: *Dominium accipitur dupliciter: Uno modo, secundum quod opponitur servituti. Et sic dominus dicitur, cui aliquis subditur ut servus. alio modo accipitur, secundum quod communiter refertur ad subjectum qualitercunque. Et sic etiam ille, qui habet officium gubernandi & dirigendi liberos, dominus dici potest. Hoc E. modo homo homini nondum malo dominari potest.*

B

Cuius

Cuius ratio est, quia servus in hoc differt à libero, quod liber est causa sui, ut dicitur 1. Metaph. in princ. servus autem ordinatur ad alium. Tunc E. aliquis dominatur alicui ut servo, quando eum cui dominatur ad propriam utilitatem sui scil. dominandi refert. Et quia unicuique est appetibile proprium bonum & per consequens contristabile unicuique, quod illud bonum quod deberet esse suum, cedat alteri tantum, ideo tale dominium non potest esse sine pena subditorum &c. Tunc verò dominatur aliquis alteri ut libero, quoniam dirigit ipsum ad proprium bonum eius qui dirigitur, vel ad bonum commune. Ex quibus infert, tale dominium homini nondum malo omninò convenire. 1. quia homo naturaliter est animal sociale. Socialis autem vita multorum esse non posset, nisi aliquis presideret, qui ad bonum commune intenderet. Multi enim per se intendunt ad multa, unus verò ad unum. Et ideo Philos. dicit in princ. Polit. Quodcumque multa ordinantur ad unum, semper invenitur unum ut principale & dirigens. 2. quia si unus homo haberet super alium supereminentiam scientiæ & justitiæ, inconveniens esset, nisi hoc exequeretur in utilitatem aliorum; Unde August. dicit. lib. 19. Civ. D. c. 14. quod justus non dominandi cupiditate imperant, sed officio consulendi, hoc naturalis ordo prescribit, ita Deus hominem condidit. Atque ex his ad omnia contraria argumenta responsio est facillima.

QUÆSTIO IX.

An finis Politicæ sit Respublica?

Negant hoc, qui finem Reipubl. faciunt vel hominum indigentiam, vel religionem vide. quæst. 7. quibus opponimus assertionem hanc: *Finis Politicæ non quidem externus sed internus omninò est Respublica.* Quod prob. 1. quia per hanc rectè institutam multitudo beatè vivit 2. Hinc Speusippo, Aristoteli. 4. Polit. c. 11. & Isocrati Respublica mens vocatur & vita Civitatis ac ψυχῆ multitudinis. confer Excellentiss. Dn. D. Jacob Mart. c. 1. Arnisæ c. 1. Hinc ad objectionem contrariam ex quæst. 7. facile respondetur, si distinctio inter aliqualem cum fine convenientiam & idem titatem addatur.

QUÆ.

QUÆSTIO X.

An Historia faciat ad acquirendam prudentiam Politicam?

Negare non nulli audent 1. quia contrarium potius ex
lectione oriatur Historica, tyrannis scilicet & malitia, in iis potis-
simum, qui ad illa vitia naturâ inclinant, 2. quia facta antiqua
à nostris moribus alienissima videntur. Quibus rejectis hanc
ponimus *assertionem*: inter adminicula ad Politicam prudentiam
facientia nequaquam postremum est Historiarum accurata, diligens
& attentâ lectio. *Prob.* 1. quia recte ait Cicero Historia est testis
temporum, lux veritatis, vita memoriæ, magistra vitæ, nuncia
vetustatis. In qua juxta *Plutarch.* tanquam in speculo ornare &
componere vitam ad alienas virtutes discimus, omnisque, ut
loquitur *Livius*, exempli documenta in illustri posita intue-
mur, ut inde quisq; suæ Reipubl. quod imitetur, capiat. inde fœ-
dum inceptu, fœdum exitu, quod vitet 2. quia utilissima est
ad deliberationes publicas, cum nihil sub sole novum, sed o-
mnis res anterior posteriori normam præministrarit *Tertull. lib.*
1. advers. Marcion. c. 9. Eaq; quæ nunc creduntur vetustissi-
ma, nova fuere. juxta *Tacitum 11. Annal.* Confer eundem *3. annal.*
& *Lipsum lib. 2. de Constant. c. 16. 3.* præclarum igitur est men-
tem Historiarum cognitione instructam ac refertam habere.
Historia enim conglobata quædam, & coarcervata Sapiencia
est, hominumq; multorum mens in unum collecta, ut præcla-
re ait *Gregor. Nazianz.* Quod testimonium tanti æstimavit *Bar-*
ronius ut illud *Tom. 1. annal. Ecclesiastic. præfigere non dubi-*
tarit 4. quibus addi possunt exempla plurima etiam Impera-
torum, Regum &c. Augusti apud *Sueton.* Alexandri severi,
Friderici II. Caroli IV. &c. Confer *Schonbor. lib. 2. Polit. c. 32.*
5. alias rationes in compendium quasi redegit Imperator *Bas-*
silius in admonit. ad Leonem Filium c. 56. ubi per Historias, inquit,
veteres ire ne recusa: ibi enim reperies sine labore, quæ alij
cum labore collegerunt; atq; illinc hauries & bonorum vir-
tutes,

tutes, & improborum vitia: vitæ humanæ varias mutati-
ones; & rerum in ea conversiones, mundi hujus instabili-
tatem & impiorum præcipites casus, & ut verbo complectar,
malorum facinorum pænas, & bonorum præmia, quorum illa
fugies, ne in justitiæ divinæ manus incidas, hæc amplecteris ut
præmiis, quæ ea comitantur, potiaris Hinc rationes Contra-
riæ spontè concidunt Nam *prima* fallaciâ accidentis laborat *se-*
conda manifestam falsitatem prodit

QUÆSTIO XI.

An peregrinatio ad miniculum sit prudentiæ Politicæ?

Negandum videtur 1. ob multiplicia incommoda 2.
ob varia pericula &c. de quibus conferatur *ZWingeri methodus*
Apodemica. Verum non obstantibus hisce *asserimus* quod pe-
peregrinatio non tam militaris, valetudinariæ, religiosa, de qua hoc lo-
co non queritur, quam Ethicæ cautè suscepta insigne sit Politicæ Pru-
dentia ad miniculum Quod patet 1. ex insigni utilitate 2. sum-
ma jucunditate, 3. exemplorum autoritate, de quibus *ZWingerus*
loco dicto videri potest. Unde *ad rationes oppositas Respond.*
Si 1. inter id quod ex se & ex accidente est distinguatur 2. pe-
peregrinatio non à quovis quovis modo, sed cautè suscipiatur. Ob-
servatis 1. quoad personam & ætatem certis requisitis quæ
apud *Petraum* videri possunt pag. 436. seqq. 2. quoad officium
abeuntis, pergentis & redeuntis de quo præter *ZWingerum* loco
dicto *Hieron. Turlerus lib. 1. de peregrinat. cap. 7. Julius Bell.*
in Hermere Politico. Ranzovius, Loysius, Sagittarius. & compon diose
Grossius videri potest *in memoriali artium & scientiarum p. 49. seq.*
Nos breviter solum quæ in quovis loco potissimum observan-
da addimus videl. 1. *Mathematica*, quoad loci situm tum *absolu-*
tum naturalem, salubrem &c. tum *respectivum* ad superiorem
scilicet, cælum ratione poli elevationis, climatis &c. & inferio-
rem scilicet vicinum &c. II. *artificialia*, ut *ædificia*, tum *publica*,
tam

tam sacra quam profana, tum privata, ut imagines, statuae monumenta &c. III. *Physica naturalia*, ut thermæ, fodinæ metall. &c. IV. *Moralia Ethica & Politica*, in civibus, magistratu, Ecclesia, Schola &c. V. *Historica* quoad antiquas forenses & domesticas tam actiones quam passiones.

QUÆSTIO XII.

An communio omnium rerum ad externum Reipublicæ finem faciat?

Affirmare quidam conantur 1. quia Respubl. communis sit societas, 2. quia amicorum omnia sunt communia, idq; 3. quia omne bonum sui communicativum. Sed hisce rejectis opponimus *assertionem istam: Communio omnium rerum ad externum Reipubl. finem* (de quo vid. Arnisæ) *nequaquam facit* Idq; *probat* 1. quia confusionem inducit 2. justitiam evertit. 3. otiosis & iniquis patrocinatur &c. *Confer Petra. p. 17.* Ex quibus ad *argumenta contraria Respond.* quod nihil probent. imprimis vero ad 1. & 2. *Respond. Canonem Metaphysicum*, & inde deductam rationem, non simpliciter esse verum, sed hoc modo scilicet quod omne bonum communicativum sit 1. non statim diffusionem & communicationem actuali sed aptitudinali 2. non statim necessario sed in contingentibus & liberis libere. 3. non ratione bonitatis numero ejusdem, sed similis 4. in quantum potest, 5. in quantum recipiens recipere aptum est 6. in quantum fas est & decet. 7. usu & $\chi\eta\zeta\epsilon\sigma$ non statim possessione & $\kappa\tau\eta\zeta\epsilon\sigma$.

COROLLARIA

I.

Scriptores doctrinæ Politicæ tum vetustiores tum recentiores, tam Græci quam Latini, videri non modò possunt *ap. Heider. p. 6. seqq.* sed etiam ibidem firma probatio affertur, *Aristotelis octo Politicorum libros* non ali-

B 3.

unde

unde, quam ab eo profectos esse. Id enim non modo ex *Laetio* constat, sed etiam ex tractandi modo, ipsa videl. rerum ubertate & copia, orationis brevitate & elegantia, ordine & prudentia plane singulari. *Confer. lib. 10. Ethicor. Nicomach. sub finem.*

II.

Quando de certitudine Politicâ quaeritur, tum optimè inter præcepta, eaq; tam generaliora quam, specialiora, & usum sive applicationem distinguitur. Hic enim vel maximè obtinet illud, quod *Aristoteles* passim inculcat. v. g. 1. *Ethic. Nicom. c. 3.* in iis, quæ bona, honesta & iusta sunt, satis est *παχυλῶς καὶ τύπων*. e. pingui *Minnervâ*, crasso filo & simpliciter quid verum sit, ostendere. & *lib. 1. c. 7.* subtilitatem negat in omnibus quaerendam, sed in rebus singulis pro re subjectâ: neq; specierum causas exigendas, sed boni consulendum si quibusdam in rebus *τὸ ὅτι* probè demonstratur. & *lib. 2. c. 2.* quaestiones practicas populariter & non accuratè explicandas esse monet, quia *λόγοι* subjectæ materiæ consentanei requirendi sunt. In rebus autem practicis parum esse firmitatis. *Confer Arist. 2. post. an. 6.* Usus verò. cum in singularibus occupetur, plurimum & incertitudinis habet & difficultatis. *Vid. ibid. plura.* Cum E. incertæ sint disputationes, quæ generaliores, multò minus exquisitæ erunt quaestiones de rebus singularibus, ubi circumstantiæ vel maximè observandæ.

III.

Politicam uti omnibus facultatibus, ita & imprimis *lætis*, *Oratoribus Historicis*, *Poëis* &c. insignes afferre utilitates vid. ap. *Heider. p. 12. seqq.*

Ad



Ad Dn. Respondentem.

Quod strenuè tuam probaveris mentem,
Meznere, privatim per optima sartes;
Palmare nunc ejus reponis exemplum
Hoc quando certamen politicum tentas
Celsum Sophorum palam scandens *pulchrum*
Acclamo lætus & lubens tuis captis
Sic perge! postmodum manus Minervæ
Caput decorâ laureâ venustabit
Tuumque crescet laude maximâ Nomen.

M. CHRISTIANUS TRENTSCHUS



Quisq; suum quem cuiq; dedit fortuna tueri,
Ordinis unius possidet orbe locum.
Sed nullos hodiè, paucòsve ea cura moratur.
Quidq; suo ut fiat tempore, quidq; loco
Publica quo rerum vertatur cardine summa,
Doctè quærere vix unus & alter amat.
Hinc est, quod summis miscerier ima videmus,
Ac, ne præcipitet summa ruina, metus.
Plus igitur laudis studium, MEZNERE, meretur,
Docte tuum, partes quò minus hæc colunt.
Naturas rerum, dubiasq; exquirere causas,
Ingenii & magnæ est dexteritatis opus.
Cœptam perge viam! audebis majora, breviq;
Præmia pro doctâ sedulitate feres!

CONRADUS DAVID Bucher.

Ad Quest. VII. addenda sub finem sequentia:

* Pro. 2. quia etiam *Aristoteles* agnovit, hominem esse τῆ Φύσεως ζῶον πολιτικόν 1. *Politic. 2.* Societas verò sine ordine ac regimine esse nequit. 3. Idem ex notitiis practicis, discrimine honestorum & turpium probant alii. Unde ad argumenta contraria facile Respond. scilicet ad Primum non negari, Politicam post lapsum esse summè necessariam, teste etiam *B. Luthero* in c. 2. *Genes* ubi *Politica*, inquit, est necessarium remedium corrupte naturae. Confer *Ciceron. l. 3. de Leg. Senec. lib. 1. de Clement. c. 4.* Non autem nisi propter malitiam ortam esse eandem, nondum probatum. Possunt enim unius rei esse fines plures. Respond. ad 2. Distinguendo inter rei ortum & ejusdem origini accidentalite: conexum vitium.

In Quest. VI. assertione itidem quadam addenda h. m.

* *Civitas est objectum s. subjectum Politicæ non quidem denominationis, sive inhesionis, nec prædicationis, nec informationis sive immutationis.*

05 A 311

ULB Halle

3

004 209 80X



5b

107





Exercitationum Politica-
rum, nobiliores controver-
sias expendentium

P R I M A

Quam

D. O. M. A.

*In celeberrimã Electorali ad Albim
Academia*

P R Æ S I D E

M. JOHANNNE OLEARIO

Hallens. Sax. Amplifs. Facult. Philo-
soph. Adjuncto

Publicè ventilandam proponit

TOBIAS MEZNER, Firnã-Milnic. Elect.
Sax. Alumn.

*In Auditorio Minori, Hor. à 1. pomerid.
ad diem 9. Aprilis.*



WITTEBERGÆ,

Typis JOHANNIS CHRISTOPHORI Siegel.

Anno MDCXXXVI.